

a Christo appellationem Petrae, aliis quoque Apostolis datas esse claves regni? haec uni Petro, non aliis etiam simul sumptis Apostolis dicta sunt. An idem his phrasibus significatur ac illis: quaecumque ligaveritis etc.? verum superius ostendimus non minimum esse inter eas discrimen. Rursus cur non advertunt non tantumdem esse potestatem aliquam uni fieri, et eandem fieri pluribus collegialiter adunatis inter quos sit et ille unus? quod quidem iam superius expendimus. Cur nunquam Protestantes solliciti sunt de ratione reddenda huius facti, quod Christus uni Petro singillatim seorsim ab aliis, non Ioanni, non Andreae etc. promiserit et dederit potestatem? Si non erat instituenda nisi potestas quaedam communis, cur non fuit contentus Christus verbis dictis ad omnes Apostolos? videant ergo Protestantes quinam sint qui Scripturis vim faciunt, ipsine an catholici.

VIII. Doctrina statuens omnimodam aequalitatem inter b. Petrum et alios Apostolos sine subordinatione et subiectione eorum Petro in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, declarata est haeretica ab Innocentio X decreto S. Inquisitionis 29 Ian. 1647. Et iam Ioannes XXII proscripserat ut haeticam proposit. 2^a Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno, quod b. Petrus non plus auctoritatis habuit quam alii Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput (Constit. iam citata). Post quem Clemens VI in epistola dogmatica ad Armenos qui unitatem Romanae Ecclesiae cupiebant (Oderic. Raynaldi an. 1351 n. 3.) proponens credenda id primum interrogat: « Si credis quod b. Petrus plenissimam potestatem iurisdictionis acceperit super omnes fideles christianos a Domino I. C., et quod omnis potestas iurisdictionis quam in certis terris et provinciis et diversis partibus orbis specialiter et particulariter habuerunt Iudas Taddaeus et ceteri Apostoli, subiecta fuerit plenissimae auctoritati et potestati quam super quoscumque in Christum credentes in omnibus partibus orbis b. Petrus ab ipso D. I. C. accepit: et quod nullus Apostolus vel quicumque alius super omnes Christianos nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit. »

CAPUT II.

DE SUCCESSIONE IN PRIMATU B. PETRI

THESIS VII.

« Quod autem in b. Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem seculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. » (Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 2).

I. Sensus non est quod potestas collata a Christo Petro debeat deinceps in Ecclesia esse hoc pacto quatenus scilicet ea succederet Petro in hac potestate; sed sensus est, quod Petrus in primatu a Christo instituto debeat ex eadem Christi institutione iugiter singulares in Ecclesia habere successores quae fundata ab initio super petram, super eandem ad finem usque seculorum firma stabit. Ita Pius VI in litteris *Super Soliditate* quibus Eybelii librum: *Quid est Papa?* damnat: « Super soliditate Petrae fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere prae ceteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque in successores omni aevo propagandam susciperet, dogma catholicum est, quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum, Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores, summorum Pontificum, Conciliorumque decretis confirmavit. »

II. Negant successionem perpetuam in Primatu Petri non ii tantum qui nolunt aliquid peculiare prae ceteris Petro fuisse tributum a Christo, sed et qui hoc admissio contendunt id privum fuisse et personale Petro. Quibuscum Dr. Langen ita rationes suas subducit. Verba Christi (Matth. XVI, 18.) spectant e sententia Patrum personaliter ad Petrum, nec umquam a Patribus ea enarrantibus ad eius successores referuntur. Et sane promissio Christi nexa est necessario cum merito confessionis fidei editae a Petro, illud autem proprium fuit Petri, neque in aliquos successores derivandum; ergo et praemium quod pro illa rependitur proprium fuit solius Petri. Pariter munus confirmandi fratres supponit conversionem Petri a lapsu, ipsumque lapsum: haec porro rursus propria sunt et priva Petri. Se-

cus si verba Christi: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, pertinent quoque ad successores quosdam Petri, oportebit hos successores antea labi et deinde converti ut in ipsis vera sint verba Christi (l. c. §. 7.). Rursus si aliquis est Vicarius Christi in Ecclesia qui Episcopis ceteris superemineat, licebit ita res componere ut ex una parte ponatur Christus eiusque Vicarius, ex altera ponantur Apostoli cum Episcopis: Vicarius proinde Christi ita alloqui poterit Episcopos: sicut misit me Pater, et ego mitto vos; quod nemo videt quam sit absurdum. Praeterea si Vicarius Christi simul est cum Christo, cur Christus alloquens Apostolos complectitur una omnes comprehenso inter eos etiam Petro? sic enim Petrus Vicarius Christi conferret aliis auctoritatem cum Christo, et simul cum illis eam acciperet a Christo, quod contradictorium est (§. 6.).

Alii cum Salmasio (in Appar. cit. pag. 16. 17.) negant Petrum posse habere successorem, quia Apostolis non succeditur; Apostolorum enim auctoritas extraordinaria fuit: quae debuit cum ipsis desinere. Et sane quis succederet nisi aliquis Episcopus? at nequit Episcopus succedere Apostolo, quia Apostolus non erat Episcopus; et successio non est inter diversos. Demonstrabimus primum veritatem in Thesi assertam, tum his argumentis faciemus satis.

III. Porro perpetuitas Primatus, sive successio perpetua Petro in primatu *ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino*, iis argumentis demonstratur, quae a Patribus vaticanis innuuntur. Etenim 1) Petrus se habet ad Ecclesiam ut fundamentum ad aedificium: Petri stabilitas et fortitudo ratio sunt cur portae inferi contra Ecclesiam non sint praevaliturae: Petrus is est qui confirmat in fide fratres contra tentationes Satanae; atqui aedificium hoc, quod est Ecclesia, non cum persona Petri cessare debet, sed usque ad finem seculi permanere; hinc oportet ut nunquam contra Ecclesiam praevaliant portae inferi, oportet ut fratres in fide confirmantur semper, quia nunquam deerunt Satanae tentationes; porro aedificium durare nequit sine fundamento, nec nisi ipsi innixum firmum stabit contra impetus inferni; fratresque confirmari non possunt si desit confirmator: ergo Petra Ecclesia, confirmator *στυριγμα* fratrum perpetuus esse debet. Et sane iurisdictio suprema uni Petro concredita, qua omnia ad unitatem revocantur, est elementum intrinsecum constitutum Ecclesiae a Christo institutae, quia forma regiminis est de essentia societatis: atqui Ecclesia cum iis elementis intrinsecis perseverare debet, cum quibus a Christo est instituta: ergo. Porro ex hoc argumento liquet iura omnia promissa et collata Petro non fuisse extraordinaria, sed ordinaria: ius enim ordinarium illud dicitur heic quod semper in Ecclesia esse debet: atqui ea iura omnia spectant

ad essentiam Primatus Petri a Christo instituti, hic Primatus ex eisdem Christi institutione debet semper esse in Ecclesia: ergo.

Praeterea 2° Matth. XXVIII, 20. Christus alloquens omnes Apostolos promittit semper se cum illis futurum, cum illis scilicet quatenus aucti erant iuribus divinis; h. e. promittit se protegente eorum iura semper mansurum, semperque mansurum eum statum socialem, qui ex illis iuribus constituebatur: porro cum Apostolis aderat quoque Petrus auctus Primatu; ergo et Primatus Petri perpetuus esse debet. Dices: iura singulorum Apostolorum propria Apostolatus desierunt cum ipsis: quidni ergo et Primatus Petri? Respondeo α) Christus omnes Apostolos simul alloquitur; unde ea iura promittit fore perpetua quae spectant ad coetum Apostolorum, non ad singulos: porro eae singulares praerogativae Apostolorum non spectabant ad caetum. At Primatus Petri ad ipsum coetum Apostolorum spectabat, erat enim principium unitatis Apostolici coetus, qui propter illum ad unitatem revocabatur: si ergo omnia iura eius coetus manere debent, idemque status, ius quoque Primatus perpetuum esse debet. β) Discrimen rursus est quod potestas singulis aliis Apostolis facta non esset specie diversa a potestate eorumdem simul sumptorum, nec prout in singulis reperiebatur esset necessaria Ecclesiae; quare desinentibus quoque specialibus illis praerogativis, eadem iura in Ecclesia manebant, idemque status: at si desiisset Primatus Petri, ius aliquod et quidem praecipuum quod in eo coetu Apostolorum reperiebatur prout in eorum capite erat, desiisset, nec amplius idem status socialis permansisset quo coetus Apostolorum continebatur. Itaque necesse est ut si Christus futurus est semper cum Apostolis, futurus sit quoque semper specialiter cum Petro.

Praeterea 3) ex doctrina Apostoli 1° Cor. XII, 12. seqq. patet Ecclesiam esse unum corpus, unumque caput habere homogeneum sibi praeter Christum; inquit enim Paulus v. 21. quod *caput non potest dicere pedibus: non estis mihi necessarii*: at Christus id dicere merito potest omnibus fidelibus; caput igitur, de quo loquitur Paulus, est aliquis alius a Christo et sub Christo, spectans ad Ecclesiam visibilem, hic vero quis esse potest nisi Petrus? Porro quemadmodum est ex Christi institutione quod Ecclesia sit unum corpus, ita et quod habeat hoc caput. Cum ergo Ecclesia debeat esse ex Christi institutione perpetua, ex eadem quoque caput iugiter cum corpore durare debet; ergo quamdiu Ecclesia erit, Petrus successores habebit.

Idem 4) testantur Patres qui docent Petrum constitutum esse a Christo fundamentum ac solidissimam petram Ecclesiae suae, petram hanc non vinci ab inferorum portis: Petrum autem in suis successoribus iugiter vivere et praesidere, ad quos pariter spectant Christi

verba: huc faciunt testimonia plura Patrum citata in Th. I sub n. II post coroll. VII et sub n. V primo loco, quae modo satis sit indicasse; nam in progressu tractationis et praecipue in seq. Th. erunt non pauca ex iis aut similia recitanda, in quibus et illud contineri quod modo defendimus manifestum erit. Eadem veritas pariter constat ex doctrina Patrum asserentium Petro potestatem collatam esse ut unitas Ecclesiae formaretur (Pacianus epist. III. ad Sympronianum, Optatus, Cyprianus locis iam citatis). Idem argumentum confirmat quoque ea interpretatio adhibita a Patribus verbis Matth. in controversia Novatiana, de qua vide Augustinum in praeced. Thesi.

Ergo ex iure divino sive ex ipsa Christi institutione Primatus Petri perpetuos habere debet successores.

Porro ex allata demonstratione liquet perpetuitatem iure divino Primatus Petri esse veritatem in Scripturis revelatam. Haec enim veritas ope simplicis analysis rei explicitae revelatae colligitur, ideoque immediate revelata non quidem *verbaliter*, sed *realiter*, h. e. ratione habita rei expressae, censenda est. Sane analysi instituta rei expressae verbis Matthaei XVI: *Tu es Petrus* etc. manifestum est Ecclesiam Christi, non huius vel illius aetatis, sed Ecclesiam quam Christus aedificaturus est, h. e. Ecclesiam perennem referri ad Petrum tanquam ad suum fundamentum, suumque caput, his vero continetur Ecclesiam esse non posse sine Primatu Petri, relativa enim simul sunt; et tamdiu debere esse Petram quamdiu futura est Ecclesia: ergo.

IV. Itaque ut adversariorum argumenta expediamus, primum aequivocatio illa puerilis tollatur cum praerogativae Petri dicuntur personales. Personales enim sunt quia Petro propriae non communes aliis Apostolis ceterisque fidelibus fuerunt, non vero personales sunt quatenus ipsi ut privatae personae datae fuerint, vel fuerint ita datae ut cum eo cessare deberent. Quod enim datum est ad Ecclesiam bonum per se spectat, publicumque est munus et officium quo Ecclesia nunquam carere potest. Nexus vero huius auctoritatis collatae Petro cum merito eius confessionis in eo quidem est ut prae ceteris Apostolis meruerit Petrus hac publica dignitate insigniri, aliqua enim persona ad hoc deligenda erat; non autem in eo est quod sicut meritum confessionis Petri ipsi soli inest nec illud transit ad alios, ita ad alios non transeat dignitas ei collata; nam utrum haec transeat vel non transeat ad heredes id ex natura ipsius petendum est: si enim est auctoritas ex Christi institutione Ecclesiae necessaria, ea utique perpetua sit oportet; propriumque et privum Petri erit quod in ea habenda fuerit primus: quae specialis praerogativa utique ad haeredes non transit. Idem dicendum ad argumentum peti- tum ex

verbis Christi apud Lucam: sed et praeterea advertendum quod absque ulla ratione sufficiente contenditur ibi supponi lapsum Petri, eiusque conversionem. Sed de his rursus redibit sermo cum de infallibilitate Rom. Pontificis disputandum erit. Falsum vero est quod dicitur Patres nunquam retulisse verba Christi ad successores Petri. Porro ut Petrus Vicarius esset Christi non erat opus ut ipse mitteret Apostolos; sed etsi isti immediate missi essent a Christo, si tamen ita mittebantur ut subordinati essent Petro, iam et quoad illos Petrus erat Vicarius Christi. Episcopos vero tum Petrus tum eius successor mittere poterant, et reapse mittunt (cf. Th. XIV); at non exinde sequitur Vicarium Christi posse sibi usurpare verba Christi sensu eo proprio quo dicta sunt a Christo; nam non est par Christo Vicarius eius: sed solum analogice, in quo nulla est absurditas. Quatenus vero Petrus auctoritate insignitur a Christo ex parte eorum est qui accipiunt a Christo: quatenus autem hac auctoritate insignitus regit Apostolos eorumque successores, iisque firmitatem et unitatem praestat, ex parte est Christi, sed sub ipso et per ipsum id praestat: ideoque nulla est contradictio.

Argumentum Salmasii, quod ipse invictissimum putat, nullum est. Nam falsum est Apostolis non succedi: neque enim omnis auctoritas apostolica erat extraordinaria: imo proprie nulla erat extraordinaria, sed potius modus eam habendi quidam extraordinarius erat quatenus ceteri singuli Apostoli eam plene possiderent quoad omnes fideles, singulique Apostoli essent infallibiles. At auctoritas Petri utpote Petrae Ecclesiae, Pastoris totius gregis, habentis claves Regni, confirmatoris fratrum; auctoritas item apostolica totius coetus apostolici et auctoritas pure episcopalis ceterorum Apostolorum erat ordinaria; instituta quippe a Christo est ut ipsa Ecclesia esset. Quod vero ait Salmasius Apostolos Episcopos non fuisse, id ex eius imaginatione pendet quod Episcopi quales nunc sunt iure humano post aetatem apostolicam caeperint esse in Ecclesia; qua in re bene confutatus est a Petavio in Libris de Hier. Eccl. Cf. Prolegom. §§. XVI et XVII.

Itaque Primatus Petri non erat privilegium personale; institutus est enim in bonum Ecclesiae, et ut perpetuus esset: et quamvis Petro potius quam alii propter eius singularia merita collatus sit, non tamen propter ea merita remuneranda fuit Primatus *institutus*, sed propter Ecclesiam.

NOTA IN SEQUENTES THESES

I. Proleptice sumimus modo veritatem historicam Episcopatus Romani, quem Petrus usque ad mortem gessit; de quo deinceps magis opportunum erit disputare cuiusmodi factum sit, an pure fa-

ctum dogmaticum, an factum revelatum divinaque fide credendum. Ad argumenta historica quod spectat lege Petrum Foggini *De Rom. Divi Petri itinere* etc. Gregorium Cortesium S. R. E. Cardinalem, *De Romano itinere gestisque Principis Apostolorum*, edit. Romae 1770: quibus adde et egregium opusculum, quod de eadem re paucos ante annos edidit Sebastianus Sanguineti S. I., cum in hoc Collegio Historiam ecclesiasticam traderet.

II. Satis sit triplici, licet satis ineptae, occurrere difficultati. Prima est quod non potuerit Petrus esse Episcopus Romae; quia Ecclesia Romana ex gentibus collecta est: Apostolus autem gentium non Petrus sed Paulus fuit; ergo Paulus non Petrus fuit Ecclesiae huius fundator primusque Episcopus. Ita cl. Salmasius in Apparatu citato pag. 6. contra omnis historiae certissimam fidem, ipsiusque Verbi Dei scripti auctoritatem. Sane an ea distinctio inter Apostolatam utriusque ut Petro creditus esset apostolatus Iudaeorum, Paulo vero gentium, eo spectabat ut Petrus non posset aut non deberet gentes evangelizare, ex iisque colligere Ecclesias? Quis hoc docuit Salmasium? si ita est cur per specialem visionem Petrus a Deo excitatur uti primus gentes in Ecclesiam introducat? Nonne Petrus cum ceteris Apostolis missus iam fuerat a Christo ad gentes, cum dictum est eis; euntes ergo docete omnes gentes...? Si ea distinctio presse ad verbum urgetur, ut facit Salmasius, doceat nos ipse quid reliquum erat ceteris Apostolis? quod si ceteri non obstante apostolatu Pauli poterant gentes evangelizare, et inter gentes Ecclesias fundare, quod nisi insanus non negabit; cur non poterat Petrus non inferior certe illis? Ceterum contra facta quid valent argumenta a priori? Nonne vigeat et florebat Ecclesia Romana ita ut fides eius praedicaretur ubique antequam Paulus Romam venisset et de excolenda ea parte dominici gregis cogitaret; ut eius epistola ad Romanos testatur? Dices eam fuisse parvam Ecclesiam collectam ex iudaeis qui pauci Romae morabantur. Respondeo primum: esto, licet negem paucos numero fuisse tum Romae iudaeos saltem proselytas. Sed etsi ex iudaeis fuit, ea fuit Ecclesia Romana incipiens, nec alia postea Ecclesia successit sed eadem ampliata fuit. Verum secundo ipsum argumentum epistolae Paulinae satis docet Ecclesiam ad quam scribit ex iudaeis et gentibus coactam fuisse. Et tamen eam Paulus non instituerat. Somniantur ergo Salmasius.

Excipiunt rursus Protestantes aientes, Apostolatam cum Episcopatu componi non posse. Apostolus enim ad omnes gentes missus nullibi fixam sedem habere debuit, nec singulari gregi sed omnibus pascendis intentum eum esse oportuit: contra Episcopus fixam sedem alicubi habet singularemque gregem. Sane nullus alius Apostolus le-

gitur alicuius particularis Ecclesiae Episcopatum gessisse. Verum 1) nulli maiorum haec repugnantia Apostolatam inter et Episcopatum venit in mentem. 2) Apostolus quidem missus est ad omnes gentes, sed haec missio non perinde est ac iussio ut quisque Apostolus ad omnes gentes se conferret; quod nec potuisset fieri. Missio ergo illa universalis in eo erat quod potestas singulis facta esset eundi quo vellent: nullus eis locus definitus esset; in arbitrio tamen ipsorum relictum fuit quae peragrarere vellent loca, quas gentes erudire vellent. Quare electio locorum et gentium a prudentia Apostoli pendebat, qui si putasset divinae gloriae magis conducere, ut aliqua in civitate fixam sibi sedem statueret, idque exsecutus esset, nihil egisset quod obligationi Apostolatus adversaretur. Pariter Episcopatus ratio non postulat ut quis ita alicui loco affixus sit, ut ab eo nunquam recedat, si praesertim fungentes vice sua relinquere ibi possit: sed postulat ut Episcopus iure principe et ordinaria iurisdictione potiat in certum gregem, qui ipsi tanquam capiti et pastori adhaerens una existat Ecclesia. Cum hoc vero conciliatur excursio et digressio ad alia loca etiam longinqua, etiam per longum tempus, quod honeste fit, cum causa subest. Itaque Apostolatus et Episcopatus non invicem pugnant. Quod autem subditur nullum alium legi Apostolum, qui Episcopus fuerit, 1) id per se imbecillum est: 2) e gravissimorum criticorum sententia Iacobus Ierosolymorum Episcopus fuit Apostolus ex duodecim: 3) id etsi aliqui negent (inter quos acerrime Franc. Antonius Zaccaria in Dissert. Latinis De rebus ad historiam etc.... Tom. I. Diss. 1^a superiorum argumenta retexens, quin tamen ullum ex argumentis quae profert demonstrat vere quod contendit), advertendum est tamen, quod qui negant Iacobum Episcopum Ierosolymorum fuisse Apostolum ex duodecim, concedunt tamen fuisse ex primoribus Apostolis, in eodem nempe censu in quo fuit Paulus (cf. Diss. cit.). Atqui cum Paulus nihil minus Apostolus esset quam quis ex duodecim (Th. VI); si ipsi eiusve pari Iacobo licebat Episcopatum alicuius Ecclesiae suscipere, ut in illa opinione supponitur, licebat ergo et ceteris Apostolis. Ceterum specialis erat ratio cur Petrus cathedram aliquam episcopalem sibi vindicaret; nam Apostolis reliquis non erat succedendum in ipsa potestate Apostolatus, quae extraordinaria erat, succedendum autem erat Petro in Apostolico Primatu. Id autem sequenti thesi declarabitur.

Tandem ait Salmasius (l. c. p. 48) et post eum Dr. Langen (P. I. §.6.) quod si quis est Vicarius Christi primatum gerens in universam Ecclesiam tanquam regnum suum, nequit is esse Episcopus alicuius particularis Ecclesiae, quemadmodum Rex Galliarum non est Rex Parisiorum et propter hoc Rex Galliarum, sed ex aequo immediate

Rex est omnium civitatum omniumque subditorum huius regni. Iure ergo excipitur contra praerogativam Primatus assertam cuidam Episcopo determinatae Ecclesiae, cuiusmodi est Episcopus Romanus. Verum licet sciscitari a Salmasio an censeat repugnantiam aliquam in hoc esse quod qui Episcopus est alicuius Sedis sit quoque Christi Vicarius pro universa Ecclesia primatumque iurisdictionis obtineat in ceteros Episcopos? Hanc repugnantiam nunquam Ecclesia sensit, nec Salmasius demonstravit, et si potest alicuius sedis Episcopus esse pro pluribus aliis Episcopis metropolita aut patriarcha, non liquet cur nequeat esse supremus Pastor Christique Vicarius. Cum ergo nulla per se ostendi possit repugnantia, quaestio an ita sit solvenda est argumentis historicis non a priori. Quamvis a priori eiusdem rei convenientia satis sit manifesta. Est enim Ecclesiae quam maxime necessarium ut certus eidem sit successor Petri, ideoque sit certa ratio successionis; haec vero nulla ratione magis certa fieri posse videtur quam si alicui sedi determinatae sit successio alligata.

THESIS VIII.

Distinguenda est lex successionis a conditione successionis in Primatu. Lex successionis est ipsa divina institutio Primatus eiusque perennitatis; conditio est titulus quo efficitur ut hic potius quam alius succedat. Huiusmodi porro conditio determinata est a facto originali Petri quo Romanam Sedem evertit ad dignitatem Primatus. Romanus ergo Episcopus, qui solus debitae conditioni facit satis, obtinet iure divino vi legis successionis Primatum in universam Ecclesiam. Quocirca cum quaeritur quo iure Romanus Episcopus succedat Petro, si intelligatur non comparative sed absolute quo iure potiatur eadem auctoritate ac Petrus; respondendum prorsus est ipsum iure divino succedere Petro.

I. Non omnes partes huius thesisi eo ordine probabuntur quo sunt dispositae; idque, ut manifestum fiet, gratia claritatis. Itaque ut exemplo distinctionem traditam declarem; in quavis societate politica ex naturae lege aliquis aut aliqui esse debent qui suprema potestate potiantur: forma vero regiminis ex voluntate societatis vel ex certis factis determinari potest. Ita in romana republica lex erat rempublicam annuis duobus consulibus regendam esse; consules nuncupati ex lege naturae determinata a voluntate sociali rempublicam capessabant, et moderabantur. Si ergo quaeratur quo iure Consules existebant, et singulis annis novi veteribus succedebant: respon-

dendum est, *iure naturae et iure sociali: iure naturae*, prout erant regimen aliquod societati necessarium; *iure sociali*, prout erant certa forma regiminis. Porro conditio successionis erat e. g. ut quis inferiora munera reipublicae obvisset, ut praesens peteret, ut populi suffragiis eligeretur. Ex his adiunctis simul concurrentibus, vel secus, efficiebatur ut hic prae alio consul esset. Quare si quaeratur cur *hic potius quam ille* consul fuerit, respondendum est quia hic potius quam ille faciebat satis conditionibus postulatis, non quia natura salusve reipublicae id flagitaret; quod quidem in priore quaestione respondendum foret. Quia vero in eodem subiecto una coibant et auctoritas et talis forma regiminis, quae non nisi in concreto esse possunt, et conditiones ad eam obtinendam: hinc iidem homines erant Consules remque publicam administrabant iure naturae, et sociali determinante ius naturae, atque iure personali expletae conditionis; *absolute* quidem consules iure naturae determinato a voluntate societatis, *comparative* autem, hi potius quam illi, iure expletae conditionis.

Iam vero, si haec ad Ecclesiam transferantur, lex successionis est ipsa lex perennitatis Primatus; eo enim titulo quo Primatus perennis esse debet, eodem et successores Petri existere debent. Titulus porro praefiniens perennitatem Primatus est voluntas Christi. Quare ius, quo stabilitur existentia successorum in Primatu usque ad finem seculi, non est humanum, sed divinum, ex voluntate Christi institutoris profectum. Porro advertite discrimen inter regimen politicae societatis et regimen Ecclesiae quoad hoc; nam licet regimen esse aliquod in politica societate sit ex institutione naturae, forma tamen regiminis non determinatur solo iure naturae; at in Ecclesia eadem voluntas divina quae regimen in ea esse voluit, et formam quoque regiminis determinavit: unde in Ecclesia totum hoc nempe regimen et forma ipsius est prorsus de iure divino.

II. At ab hoc iure divino instituente Primatum eiusque perennitatem, ideoque successionem perpetuam in eo, distinguenda est conditio successionis. Quae quidem distinctio accurate est facienda. Non enim volumus dicere vel quod ipsa conditio non potuerit iure divino constitui, quod nemo non videt falsum esse, vel quod reapse non fuerit iure divino constituta; de hac enim re inferius disputabimus: sed id dicimus 1) quod spectatis rerum essentiis alia est ratio conditionis successionis, propter quam hic potius quam ille succedit, alia est ratio legis successionis, per quam ipsa existentia perpetua successorum stabilitur: atque 2) quod necesse non fuit Christum voluntate *antecedente* determinare conditionem successionis, quemadmodum legem successionis statuit, ad hoc ut quis deinceps iure